

1262, maig, 16

*Bernat Gener, de Vilaür, fa heretament al seu fill, d'igual nom, del mas Otger de Vilaür.*

ASD núm. 188, perg. orig., 190 x 250 mm.

Sit notum cunctis quod ego Bernardus Ianuarii, parrochie Sancti Stephani de Uilahuro, gratis et spontanea uoluntate heredito te Bernardum Ianuarium filium meum et in presenti dono tibi et tuis perpetuo totum mansum meum uocatum Otger quem ego et tu inhabitamus [ .. ]dili proprietatem cum omni sua laboracione pro[ ... ] culta et herema quecumque et ubicumque sit, longe uel prope cum omni mobili dicti mansi presenti et futura, in tali uidelicet pacto et conditione apposita quod ego dictus Bemardus dum sim in hoc mundo, sim tecum et uxore, si quam duces et etiam sine uxore, dominus et potens de predicto manso et honore, et de aliis bonis que tibi dono unum ignem faciamus et ad unam mensam sedeamus. Si autem, quod Deus auertat, discordia aduenerit inter me et te aut uxorem si quam duces, habeam et teneam de predictis que tibi dono et de illis bonis que haberemus tempore illius discordie medietatem. Et in predicta me ietate tamen michi retineo usumfructum, quam supradictam medietatem constituo me tuo nomine possidere, et tu et uxor quam duces et etiam sine ipsa, habeatis et teneatis aliam medietatem; post mortem autem meam ista mea medietas quam michi retinuissem tibi et tuo heredi, postmodum tibi et tuo heredi libere reuertatur, et in fine meo hereditet anima mea ad consuetudinem illius parrochie et sic habeas et teneas dictum mansum prout melius dici et intelligi potest ad tuum comodum et bonum intellectum, dando et cedendo tibi in predictis omnibus omnia iura mea et loca, uoces, rationes et acciones meas reales, personales, utiles, et directas mihi in predictis ut dictum est competentes et competituras ad omnes tuas tuorumque uoluntates ibi et inde perpetuo faciendas sine aliquo alio retentu quod ibi uel inde non facio. Et sic promito prefatam donacionem, tibi superius sponte factam, ratam tenere et inuiolabiliter obseruare. et numquam reuocare iure ingratitudinis uel alio quouis modo uel alia aliqua ratione. Et ad hec, ut presens donatio maiori gaudeat firmitate et meam predictam uoluntatem non possim mutare, recipio te in hominem, manibus propriis comendatum. Ad hec ego Bernardus Ianuarii sepe dictus, recipiens a te dicto Bernardo Ianuarii patre meo presentem donacionem, laudo, concedo et approbo hec omnia et singula suprascripta, promittens tibi prefata omnia uniuersa et singula facere, atendere et complere prout superius continetur et in aliquo non contrauenire per me uel per aliquam personam interpositam iure aliquo siue causa.

Quod est actum .XVII. kalendas iunii anno Domini millesimo .CCLX. secundo.

Sig+num Bernardi Ianuarii, donatoris predicti, qui predicta omnia firmo et concedo. Testes huius rei sunt Raimundus de Sancto Celedonio, clericus Gerundensis et Arnllus clericus de Uilauro et Bernardus de Saricto Andeolo, nuncius Berengarii de Cestella.

Sig(s. man. ) num Michaelis de Ulmo, qui hoc scripsit mandato Bernardi de Uicco, publici Gerunde notarii. Ego Bernardus de Uicco, publicus Gerunde notarius, subscribo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 395-396